



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

II. Vt in fine cuiusque psalmi, & per interualla maiorum, gloria dicatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

146 PELAGIVS C O N C I L I V M M A U R I C I V S I M P E R A T O R .
P. II. R E C C A R E D V S R E X G O T H .

XIV. *Vt qui sortilegos consulunt pauperibus erogetur.*
excommunicentur, & pecunia multentur: qui vero sortes faciunt, venumdentur, & precium
XV. *Vt quinta feria, nisi aliqua festivitas in eam incidat, feriari & cessare non liceat.*

ANNO
CHRISTI
389.

P R A E F A T I O .

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Anno feliciter quarto regni domini nostri gloriosissimi Reccaredi regis, Narbonæ, Migetius, Sedatius, Benenatus, Boetius, Pelagius, Tigridius, Agrippinus, & Sergius, episcopi Galliæ prouinciæ, Concilia sanctorum antiquorum patrum, vel decreta obseruare cum Dei timore cupientes, nos in vrbe Narbona, secundum quod sancta Synodus per ordinationem gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis in vrbe Toletana definiuit, die Kalendarum Nouembris Deo auspice in vnum conuenimus, & aliquanta, quæ iuste & pie sunt edita, & per patrocinationis potestatem non supplebantur, ad memoriam nunc temporibus Domini nostri sub præfationibus deducentes recapitula-re fecimus: & quæ pro regula, & fidei catholicæ disciplina adhuc visa sunt, communi tractatu elegimus conscribenda, & Canonibus definiuimus adiungenda: quæ tenore capitulorum subsequenter euidenti iure declarantur.

C A N O N E S .

I.

Hoc regulariter definitum est, vt nullus clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundalem, non ad religiosam dignitatem; vt sicut est deuotio in mente, ita & ostendatur in corpore: quia purpura maxime laicorum potestate præditis debetur, non religiosis. Quod si quis non obseruauerit, velut transgressorem legis coercendum.

II.

Hoc itaque definitum est, vt in psallendis ordini-



ANNO
CHRISTI
389. bus per quemque psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo : per maiores vero psalmos, prout fuerint prolixius, pausationes fiant, & per quamque pausationem gloria trinitatis Domino decantetur.

III.

Nam & hoc secundum prisorum censuram Canonum finitum, ut nullus clericus, subdiaconus, diaconus, vel presbyter in plateis resideat : certe nec in plateis stare, & fabulis diuersis commisceri. Quod si quis facere præsumperit, repellendum omnino ab officio, & execrandum, si non emendauerit, & a communione & ab officio priuetur.

IV.

Vt omnis homo, tam ingenuus, quam seruus, Gothus, Romanus, Syrus, Græcus, vel Iudæus, die dominico nullam operam faciant, nec boues iungantur, excepto si in mutando necessitas iucubuerit. Quod si quisquam præsumperit facere, si ingenuus est, det comiti ciuitatis solidos sex ; si seruus, centum flagella suscipiat.

V.

Secundum Concilium Nicænum sanctissimum Conciliabula vel coniurationes non fiant clericorum, quæ sub patrocinio solebant fieri laicorum. Nec unusquisque de inferiore gradu seniorem sibi elatus aut increpet aut iniuriet. Quod si quis prætermisso tam iustæ censuræ ordine ausus fuerit facere, distinctione severissima corrigatur, ut sub poenitentia nomine vitia recedant : id est anno uno in monasterio sciat abiicere superbiam vnde inflatur, quod est diabolus; & addiscat humilationē Christi,

Concil. Tom. 13.

T ij